



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Provincia Avstria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67132)

PROVINCIA
AUSTRIA.



HABET Austria de nostris decem
circiter, ac ducentos. Vienna quin-
quaginta. Praga quinque & qua-
draginta: quamquam hic postea nu-
merus, alijs alio dimissis, nō medio-
criter est imminutus; vt etiam Olomucij, vbi quā-
quam vnus initio & quadraginta degebant, postea
ad duodeviginti numerus redijt. Gracij fuere tres
& quinquaginta. Bruna quattuor circiter & trigin-
ta. Obierunt septem. In Societate cooptati mini-
mum ad viginti.

OLOMVCENSE ET CRAECEN-
se Collegia.

OLOMVCII caluit solito magis hoc anno,
seu presentis pestilentiae formidine, qua saepe
nec opinantes aggreditur, seu promerenda Iubilaei
caussa, quod nouus Pastor toti Christiano orbi propo-
suit, studium ac consuetudo sacramentorum. Itaque
vbi Romana sedis auctoritas despecta iacebat, ibi
cerni licuit paschalibus ferijs strata ante Sacerdo-
tum pedes tria amplius hominum millia. & cetera

è corruptis hæresi regionibus eius rei causa domi-
 nica quaque luce complures, maluntq. more Prouin-
 cia à suis dominis graues sibi multas imponi, quam
 vt ab hereticis sacramenta suscipiant. Eiurarunt hæ-
 resim partim remotis arbitris, partim adhibitis co-
 ram testibus, plus minus quadraginta: sed sexcenti
 amplius, quorum aut vacillabat religio, aut errori-
 bus obscurata iacebat, tum in sententia confirmati,
 tum ad puram sanamq. doctrinam vocati sunt. Mu-
 lieres etiam quæ se palam in meretricia vita collo-
 cauerant, quæq. domū suam omnium libidini patefe-
 cerant, nostrorum industria se formarunt ad vere-
 cundiam. Plurimiq. mutuis irritati odijs ex inimi-
 citijs se receperunt in gratiam. ac denique alijs in
 rebus animorum saluti commodisq. seruitum. Socie-
 tate autem recepti sunt quatuor. Nec tamen cum
 ciuibus datur opera, obeunda vicinitatis consuetu-
 do deseritur. Mulier in vicinis locis diuturno impli-
 cita morbo, cum Catholicum Sacerdotem, cuius co-
 piam habere non poterat, confessionis causa requi-
 reret, cognito nostri Sacerdotis aduentu, mittit illi-
 co qui patrem roget, vt ad sese diuertat. gerit pa-
 ter mulieri morem, & præbet operam consentienti:
 pauloq. post omnibus soluta vinculis in calum per-
 uolat.

EADEM GRÆCII in quærenda ani-
 morum utilitate sedulitas. Lutherani aliquot ad Ec-
 clesia Catholica auctoritatem se contulerunt. erat
 in his quidam, qui à Cænobij disciplina in hæresim
 lapsus, acer sua sectæ concionator euaserat. is vxo-
 rem

rem habebat et liberos: sed postquam cum Deo ad lucem, quam fugerat, reuocauit, relicta coniuge liberisq. præter unum marem, Gracium cum filio venit, ubi diu multumq. probatus, magna sua constantia documenta præbuit. nunc facta à Summo Pontifice potestate, paræcie cuidam præest tanta cum laude studioq. ut qui ad animarum perniciem & fraudem incumbibat, ad earum nunc salutem & defensionem suas artes cogitationesq. cõuertat. Hic quoque in egenos collecta stips est, et iracundie hominũ obuiam itum. Ceterum satis ex sententia diuina res agitur. Archiducis benignitas quotidie magis in nos elucet: nam ut ijs populis, qui sibi parent, varijs implicatis erroribus subueniret, cum iam antea Societatis Collegium instituisset, postea nequaquam ea liberalitate contentus, maiora quedam aggressus est. publicum Gymnasium, id quod diu in animo fuerat, adiunctis ad superiores redditus alijs, bis mille aureis excitauit, in eamq. rem iussit nobis libros de canobij cuiusdam bibliotheca suppeditari. Fecit etiam, ut cum iam inde à primo ortu Collegij, communis nobis esset urbano cum parochio templi usus, non sine magno vtriusque partis incommodo, et nos molestia leuaret. potestatemq. à Summo Pontifice impetrauit, sibi ut liceret in aliud templum iura omnia curialia cum Parochio ipso transferre. ita Societas multis soluta difficultatibus, commodissime suo templo iam utitur. Sed tam lætis rerum nostrarum euentibus mæret videlicet aduersarij, nec occultare mærorem possunt; dũ de noua academia nescio quid odoratis

odorati, strepere pro suggestis incipiunt. quicquid ab Archiduce, vel ab eius consiliarijs publice fit, id nostrorum suasu impulsuq. fieri dicunt: ut nuper, cum ciues quidam, qui contra principis edictum ad hereticorum synagogas acceſſerant, pœnas dedissent; ij in nos confestim conclamarunt: cumq. supremus inter eos pastor, quod eiusdem mandata principis contempſisset, ex eius ditionis finibus exulasset, id quoque in nostra consilia improbissime retulerunt: nimirum ut nos ipsos in odium & inuidiam apud populum vocent. sed Deo nixos parum videlicet eorum sermo nos mouet; multo minus inuidia, quam Catholicorum beneuolentia compensat. placare certe conabimur Deum, ut cœcos aliquando respiciat, nec ruere ad mortem sinat tam præcipiti lapsu.

COLLEGIVM VIENNENSE,
& Pragenſe.

VIENNÆ quantum nostri possunt, tantum animis custodiendis inuigilat: quod ut commodius agant, non desinit Dominus nostrum numerum augere. auxit fratribus quindecim. nec minora ex hereticis lucra dedit: quorum iam centum & sexaginta catholica assentiuntur Ecclesie. his licet annumerare non paucos, qui cum in tanta sacrorum turba nunc catholici, nunc heretici viderentur, non modo vitæ cōsuetudine, sed etiã sacra cōmunionis vsu, velut uarijs iactati fluctibus, tandē ad solidā fidei petrā adhaeserūt. Gymnasiū quod et multa et clara nobilitabat inuētus, pestilentiã iterū cōtagione disiectū
est

est. et si enim grandior retinetur aetas; tenera tamen in suas domos ex magistratus decreto remittitur. sed ex utroque auditorum genere partim pestilentiae metu, partim magistrorum inopia, alios aliò necesse est commigrare. Nostros autem sceleris hisce temporibus usque eò diuina prouidentia protexit, ut in multis saepe periculis sine periculo videantur fuisse. nam & ijs, quos scelerata lues occupabat, oportuit adesse non raro, & in conuictorum atque alumnorum contubernio perdifficile fuit, tot adolescentes ab eo malo, quod bis terue in eorum quasi visceribus haeserat, vacuos liberosq. seruare. nec tamen vel ex nostris, vel ex ea iuuentute desideratus est quispiam. Cum morbus vires intenderet, placuit nostris, ne Catholicis sua deesset opera, è Patribus duos legere, eosq. habitatione à reliquis segregare, ut cù necessitas vel charitas suaderet, istis pestilentia hominibus prestò essent. id quod ab illis magna tum humanitate, tum ciuitatis approbatione factum est. Sed non ijs tantum, qui agris erant corporibus, sed ijs etiam, quorù animi laborabant, opportunis medicamentis occursum est. effectumq. ut qui penas debebant legibus, candentes forcipes, & grauissima quaeque supplicia aequo animo fortiq. perferrent. Inter hos quidam triginta & amplius caedibus infamis, quiq. grauidarum ventres dissecuerat, obtruncatisq. euulsorum foetuum palmulis, eorum etiam corda vorarat; atroci sententia damnatus, magna doloris & contriti animi significatione acerbissimum horribileq. supplicium subiit.

Non

Non minor in tuendis proximis oppidis cura fuit. In oppido Nikelsburgensi, quod cum reliquis pagis nostrorum laboribus ad Catholicam religionem paucis annis ante se retulit, plurima est excepta confessio; hereticiq. triginta ab errore & interitu liberati. Actum etiam de erigendo in vicino monte sacello, ut & profani ritus, quos vitiosa consuetudo inuexerat, melioribus religionibus corrigantur; & fit denique locus aliquis, quò supplicationis & concionis causa populus coeat. Excurrit etiam in Morauiam Sacerdos quidam, illustris viri precibus euocatus: cuius profectio munus extitit, ut non modo eius loci Princeps cum coniuge & filia, sed tota etiam familia è capitibus sexaginta, sacris confessionis Eucharistiæq. mysterijs animos expiarint. Hic cum Sacerdos ille grauiter agrotaret, ea charitatis ac beneuolentiæ significatione, à tota nobilitate, ac familia, qua ad leuationem facerent, suppeditata sunt, ut in suorum complexu fratrum Sacerdos ille sibi viuere videretur.

PRAGAE quoque ad sanandos hereticos, nostrorum labor industriaq. dirigitur. ac si ij, quorum nulla habita ratio est, excipiantur, septem & triginta resipuisse reperientur: in quibus nonnulli quadragesimum & quinquagesimum iam annum in suis tenebris cæci iacebant. Multis præterea viris grauissimis meditandi ratio commentandiq. diuina magno cum fructu tradita est. & quod in his Boemicis partibus inauditum est, matrona nobilissima ita sese ad nostras meditationes exercuit, ut

repu-

repudiatis secundis nuptijs, viduitatem consecrauerit Deo. Ne egri quidem nostrorum requirunt officia, quorum vni, cum ita ager esset, ut eius salui medici diffiderent; morbis animi sacramentorum medicina curatis, nulla interposita mora, corporis quoque curatus est morbus. Rei litterariae prosperum est cursus. frequentat academiam auditorum nobilitas & multitudo, augeturque eius quotidie existimatio, non modo afficiendis perhonorifico Magistri gradu permultis, sed etiam comediarum spectaculis, actionibusque praeclaris: ad easque regni proceres saepe concurrunt. Affert etiam Gymnasio decus conuictorum domus, quae ut contubernaliū numero, ita genere floret, alitque centum amplius adulescentes. Quae uero domus alendis tenuiorum discipulis instituta est, ea quoque alumnos continet plusquam centum. ita à scholis nostris numquam suus decor abesse potest.

DOMVS PROBATIONIS
Brunensis.

SUPERIORIS anni ruinas, quas ediderat pestilentia, uidetur hoc anno Deus uoluisse sarcire: magna est enim in hac domo fratrum accessio facta, quorum studia tota sunt in uirtute desixa, sed numerum nullum indicant, quae ad nos perlatæ sunt litterae. Nouitio cuidam generis nobilitate claro, cum à Germaniæ principe post exactos aliquot eius tyrocinijs menses, honor in Ecclesia quidam, unde satis amplum

Amplum vectigal quotannis capitur, deferretur; is omnia constanter reiecit; significavitq. Principi illi, se iam missos fecisse honores & vitæ commoda, gratiusq. sibi fore, si eam liberalitatem in Societatem pauperesq. conuerteret.

Alium quoque rei familiaris administrum, virū illum quidem multæ prudentiæ, sed simplicis tamen ingenij, eò sua virtus & sui ipsius despicientia prouexit, vt cum in sacrificio Missæ inusitato quodam mentis ardore sese effunderet coram Deo, puerum IESVM in Eucharistiæ Sacramento suis ipsis oculis sine vlla dubitatione perspexerit. sed nihil attinget singulorum commemorare virtutes: tantum rogandus est Deus, vt consimiles det exitus his principijs. Venio ad reliquos, quibus secundum suam salutem, proximorum quoque salus animiq. creduntur. hi nihil prætermittunt, quod ad reparandas tuendasq. animas pertinere videtur. Sanata sunt vitia per multa, prohibita cades, finis odijs impositus, hæreses ex obstinatis discussæ pectoribus, mulierū, quæ sua corpora in questum contulerant, pudori consultum, multorum denique animis sacramentorum administratione subuentum. Eadem fere in vicina loca constiterunt officia. concessit Nikelsburgum par Sacerdotum, quorum alter quadraginta penitentes excepit, qui exactæ vitæ maculas ignominiasq. confiterentur. Vir quidam primarius, cum non satis ex virtute atque officio vitam degeret, admonitus graui morbo, ne vt corporis, sic animi salutem in discrimen vocaret; ad obeundum supremum diem, nostro-

rum adiutus ope, comparare se cœpit. ergo actam ad id tempus ætatem in mentem renocat, Sacerdotiq. quicquid apud Deum offenderat, dolenter explicat. cum autem ingrauesceret morbus, salutare vincticum postulauit, & mox etiam, quod in his locis perrarum est, Vnctionis vltima sacramentum: semperq. nostros adesse voluit, qui se contra diaboli fraudes suis sermonibus confirmarent. ita pio mortis genere minus laudabilem vitam, id quod raro accidit, terminauit.

Sed dum in peragrada vicinitate, multorum animi ab interitu vindicantur, ostendit communis hominum hostis, quantas nobiscum gerat iras: qui vt à præclaris nos deterreat incœptis, suos in nos satellites commouere non desinit. Octo passuum millibus ab vrbe Bruna hæreticus quidam, è nostris vnum insequutus est pugione, eo furore atque amentia, vt nisi vir bonus sese interponeret, & hasta quadam furentis ictus exciperet, confecta res esset. sed ad eum conuersus hæreticus, Nil mihi, inquit, tecum est litium. cū his pessimis Iesuitis tota res est, qui omnes nostros conatus, ex quo huc penetrarunt, eludunt. Alius vero in nostris suburbanis hortulis, bombardam in alterum de nostris obuenterat, vt eum sine dubitatione discerperet: tanto flagrant odio nominis nostri, improbi religionis hostes. uerumtamen spes impunitatis tantam alat insolentiam, coercentes quosdam per magistratum P. Rector curauit. Est autem illud sane mirabile, quod cum ita suos in nos ministros diabolus incitet, nihil vt in

nostrum ordinem non excogitent, cum ceteris par-
cant; ea tamen sit ubique Societatis existimatio, ut
si quis vel à dæmone putetur obsessus, vel amentia
morboq. correptus, quod non raro accidit; ad nos
potissimum concurratur: nec temere: ex ijs
enim nonnulli alijs atque alijs præsijs
sani atque incolumes, qui agri im-
becillesq. venerant, re-
cesserunt.

